

Joachim Schönermarck Johannes Cretzmer

Disputatio Iuridica De Iure Patronatus

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728671182>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 23. Mai. 1610

Schonermarck, Joach.

77



DISPUTATIO JURIDICA

DE JURE

PATRONATUS.

Quam
D. O. M. A.

Consensu & autoritate Amplissimæ facultatis
Juridicæ in Illustri Rosarum

Sub Præsidio

JOACHIMI SCHONERMARCK

J. D.

publicè defendet

JOHANNES CRETZMER Boruff.

In Acroasi majori 23. Maij, initio ad septimam
marutinam facto.

I. D. 244. 32.




ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri

ANNO M. DC. X.

1610

DE JURE
PATRONATUS





Quoniam in jus patronatus aliter jure civili, aliter Canonico accipiatur: premittendo ponimus, non acturos nos de illo, quod Manumissor in personas & bona, donata liberet, manumissorum acquirit sibi, & habet, nec cuius respectu, causarum Advocati, Patroni vocantur: verum de hoc, quod competit alicui in Ecclesia vel beneficio.

T H E S I S I.

Et illud definimus legitimam ex certis causis, & conditione, nullo precio interveniente, concessam potestatem presentandi Episcopo idoneum instituendum, ad Ecclesiam vel beneficium vacans.

I I.

Reperiturq; hoc duplex: Ecclesiasticum, & Laicum. Unde alij dicuntur Patroni Ecclesiastici alij Laici.

I I I.

Ecclesiasticum est, quod habet Ecclesia, universitas, Monasterium, vel alius locus religiosus.

Laicum, quod competit Laico vel Clerico, ratione sui patrimonij, quo sibi hoc jus acquisivit.

I V.

Hinc querimus, Vtrum jus patronatus Ecclesiasticum,

eum, vel Laicum censendum, si Ecclesia & Laicus simul patroni existunt? Utrumq; diverso respectu hoc esse affirmamus.

V.

Diximus ad beneficium vacans. Unde decisio quaestionis illius hodie admodum practicabilis desumi potest. Utrum sollicitatio de non vacante officio, ejusq; promissio & addictio, de jure licita sit & permissa.

VI.

Possunt jus patronatus acquirere, qui rerum suarum habent administrationem liberam, quiq; habere hoc prohibiti non reperiuntur. Unde foeminam, spurium, Excommunicatum hujus juris capaces, consecrarium.

VII.

Nec tamen filium in patria potestate existentem, nec Iudaum, nec haeticum idem jus habere concludimus.

VIII.

Quam vero hoc jus vindicare quis sibi possit, ante requiritur, ut regulariter Ecclesia sit fundata, constructa & dotata. His siquidem non intervenientibus simul, jus constitutum nullum esse potest.

IX.

Nec refert, per unum vel per plures hoc factum, unde si alter fundavit, alter construxit, alter dotavit
Eccle-

Ecclesiam, omnibus æqualiter jus patronatus acquiri, cum Doctorib. asserimus.

X.

Fundatione verò acquirit is, qui fundum, in quo jus aliquod habet, ad Ecclesiam construendam assignat, nec inter est utrum sibi in assignatione hoc ipsum expressè reserua verit.

XI.

Hic non inconcinne quæri potest, Vtrum is, qui locum destinatum ad Ecclesiam fundandam communem habet, partem suam etiam invitus alteri destinanti vendere cogatur? Et an pactum, ne in vendito loco Ecclesiam quis fundet & construat, jure sit validum? Affirmantibus calculum addimus.

XII.

Constructione, quando quis suis sumptibus Ecclesiam exstrui facit, unde tamen operas non excludimus, quas pretij loco in Ecclesia exstruenda quis confert & præstat.

XIII

Vbi commode se offert quaestio decidenda, Vtrum quemadmodum dominus construens Ecclesiam in fundo feudali, ejusdem patronus sit, ita è diverso Vasallus Ecclesiam in eodem fundo construere, illiusq; patronatus jus acquirere possit? Quod negandum putamus.

XIV.

Huic illa affinis est. Vtri patronatus jus acquiratur,

A 3

si me

si me inscio, alius Ecclesiam super fundum meum construat, mihiñe domino vel construenti: Neutri acquiri verius esse existimamus.

XV.

An vero Ecclesiam in meo fundo, me insciente, & edificatam; propria autoritate occupare, vel demoliri queam questionis est ardua? Negativam ex jure ut veriore[m] defendemus.

XVI.

Dote quoq; hoc jus acquiri, juris non est incerti, quæ in tantum necessaria est, ut etiam si Ecclesia fundata & constructa sit, nec tamen dotata sufficienter & congruè, jus sibi in ea vindicare nemo possit, adeo ut licet Episcopus dote insufficienti & exigua contentus esse velit, patronus tamen minime per hujus dationem efficiatur.

XVII.

Quam congruam & sufficientem arbitramur, si ad alendos ministros & luminaria prabenda sufficiat.

XVIII.

Unus vero an plures dotent, vel unus plus, alter minus conferat, nil refert, ad omnes enim hoc idem spectat, nec alter altero jus majus & fortius habet.

XIX.

Porro predicta tum procedunt, si consensus Episcopi illius loci, in quo Ecclesia construui debet, vel in ipso actu,

actu vel etiam postea intervenit, qui si absq̃ justa causa
consensum acquirenti suum addere nolit, ad consentien-
dum per superiorem compelli potest, vel hunc sufficit con-
sensisse.

XX.

Qui consensus & tacitus esse potest, modo Episco-
pum scripsisse acquisitionem, nec cum potuerit, contra-
dixisse constiterit.

XXI.

Notandum autem hic, quod pacta & reservationes
à patrono adiecta, sint omnino valida & servanda,
modo absq̃ Episcopi consensu, nec ex intervallo sed in-
continenti, h. e. tempore foundationis adificationis, vel
dotationis sint apposta.

XXII.

Hinc pactum, ut non nisi consanguinei patroni in
Ecclesiam vel beneficium admitantur. Patrono item
& heredibus suis annua exsolvatur pensio, subsistere,
jure concludendum.

XXIII.

Superioribus acquirendi jus patronatus modis, an
prescriptio annumeranda Dd. non eadem est sententia.
Quidam enim, cum affirmant. dicem, quidam quadra-
ginta, quidam centum annorum spatium requirunt.
Nos, quæ juri magis consona, disputando inquiremus.

XXIV.

Acquisito ita jure patronatus, ad presentandum,
Laico

Laico patrono quatuor, Ecclesiastico sex Menses conceduntur, intra quod tempus ipse vel per litteras, vel procuratorem, speciale ad hoc habentem mandatum, coram Episcopo, vel ejus vicario, etiam extra dioecesim seu Episcopam, ultima quoque die feriata, presentationem hanc expedire debet.

XXV.

Et si per plures patronos fiat, tum demum omnibus simul consentientibus aut saltem pro majori parte.

XXVI.

Tempus autem presentationis est, continuum, et solummodo scienti et negligentis, non ignorantis, et ex justis causis impedito, currere incipit.

XXVII.

Quo termino elapso moram purgare patrono non expedit, sed id ipsum defertur ad Episcopum, cui sex menses à die devolutionis et noticiæ ad presentandum de novo conceduntur.

XXVIII.

Utrum autem patronus probare teneatur intra tempus jure definitum, presentationem factam? Questionis est ambigua. Nos cum distinctione respondebimus.

XXIX.

Presentari possunt omnes modo idonei, nec jure prohibiti reperiantur. Unde filium, consanguineum, notum, vel ignotum, sacerdotem vel non sacerdotem, ab eo, qui

qui jus hoc habet, presentari posse consecrarium est. Se-
ipsum autem tum solum, si necessitas hoc jubeat, vel ab
alio compatrono presentatio fiat.

XXX.

Notandum autem hic circa presentationem, quod
intra prefinitum tempus, patrono Laico, non item Eccle-
siastico, etiam lite pendente, ante institutionem tamen,
variare, & plures successive, unum alteri accumulando,
presentare liceat.

XXXI.

Nisi juri huic simpliciter, vel jurato renuncia verit.

XXXII.

In infinitum vero variatio hæc non procedit, sed præ-
sentato uno, item altero, hæc tollitur & evanescit.

XXXIII.

Porro cum in hac variatione relinquatur Episcopo e-
lectio. Eleganter hic quaritur; Vtrum presentatis extra-
neo & consanguineo patroni, electioni locus sit, vel hunc
illi præferre Episcopus necesse habeat? posterius probamus.

XXXIV.

Inde quæ dicimus extraneum magis idoneum, civi
in munere subeundo idoneo præferendum non esse.

XXXV.

In compensationem quoque & retributionem jura con-
cesserunt patronis honorem & utilitatem, onere con-
juncto. Ille consistit imprimis in presentando, de qua re

B

supra

supra diximus, si ve in assensu praestando, & confessu ante alios.

XXXVI.

Estq; presentatio adeo necessaria, ut institutio facta absq; illa, regulariter ipso jure nulla sit, institutusq; tanquam in vasor ab Ecclesia vel beneficio removeri possit.

XXXVII.

An invito populo presentatus justitui possit, inter Dd. quaritur! Negantibus asipulamur necessario.

XXXVIII.

Ut autem hac institutio nulla, ita patronus jus instituendi in alium Episcopo inferiorem transferre nequit.

XXXVIII.

Hic aptè quaritur; Vtrum institutus patrono in processibus, actibus ve publicis, locum superiorem relinquere jure teneatur. Illiq; absq; venia impetratione hunc in jus vocare sit permissum, ita ut honori ejus nihil decedat? Nos ad prius negativè, ad posterius vero affirmativè respondendum esse, opinamur.

XXXIX.

Utilitas, qua patrono competit, in eo versatur, ut quemadmodum libertus patronum de jure Civili inopem alere cogitur, ita Ecclesie nomine etiam sine Episcopi consensu, institutus patronum una cum suis alere, omniaq; ad usum vite necessaria subministrare teneatur.

XLI.

Ita tamen, si ex redditibus Ecclesie, subductis prius expensis

expensis necessarijs, pro ministerio & conservatione Ecclesie quid supersit : adeò ut si facere hoc ipsum detrederit, officio judicis, inspecta personæ qualitate, ad hoc compelli possit.

XLII.

Vnde Dd. concludunt, non solum victum & amictum, habitationes, & Medicinas inopi patrono deberi : sed & nobilem ignobili, minorem infante, majorem minore, largius & lautius tractandum atq; alendum.

XLIII.

Ac licet regulariter necare videatur, qui alimenta negat; Ecclesie tamen Rectorem homicidij pœna ordinaria, non puniendum esse arbitramur, si alimenta dare distulerit, vel planè non dederit.

XLIV.

Onus porro quod patrono imponitur, hoc est, ut cum Ecclesie de idoneo sacerdote prospexerit, eandem simul ac Ecclesiam non præmat, sed pro virili sumtibus Ecclesie defendat, procuretve, ne bona illius presbyter dilapidando profundat.

XLV.

Quod si fieri hoc viderit, institutum commonitionis honeste conventionè compeecat, vel Episcopo; aut & illo prodigo existente Metropolitano; aut hoc eodem vitio laborante, principi denuntiet, & ad privationem beneficii agat,

XLVI.

Sic & impedire potest, ne Ecclesie redditus in alios

conuertantur usus, quam ad quos foundationis tempore fuerant deputati.

XLVII.

Proprietatem tamen Ecclesie patronus ob id non consequitur, nec jus Ecclesiam visitandi, nec institutos removendi, etiamsi prescriptione immemoriali se tueri velit, nec rationes Ecclesie reddituum exigendi sumere, sibiq; arrogare potest. Cum omnia hæc ad solius Episcopi provisionem & procuracionem pertineant.

XLVIII.

Hodiè pacificatione religionis intuitu facta, & suspensa Ecclesiastica Romanorum Catholicorum jurisdictione, ad Principum superioritates hæc devoluta, illorumq; nomine superattendentibus & visitoribus ut hos vocamus, peragenda, ac circa illa disponenda ad ratihibitionem tamen & confirmationem, demandata sunt.

XLIX.

Vnde aperti erroris convincuntur illi, qui, dum jus patronatus se habere in Ecclesiam probant, sibi etiam, nec Principi, jus illam visitandi, & rationes exigendi competere, affirmare non erubescunt.

L.

In alienandis verò Ecclesie rebus an consensus patroni necessariò requiratur? quæstionis est ambigua: Negantiù placet sententia.

LI.

Si tamen hæc alienatio in fraudè Ecclesie facta fuerit, patronum illam revocare posse, statuimus.

Resectio

LII.

Refectio Ecclesie, adium pro sacerdote, ac reliquis
Ecclesiasticis ministris, regulariter patrono non incumbit.

LIII.

Sed illa procuranda ab illis, qui curant Ecclesiam,
Et quidem ex his quæ pro fabrica Ecclesie sunt assigna-
nata, quæ si nulla sint, vel insufficientia, si cathedralis,
ad hanc reficiendam Episcopus Et Canonici, si inferior,
beneficiati tenentur.

LIV.

Qui si huic impares oneri, Parochiani ad contribu-
endum cogendi, qui adeò ad banc rem obstricti sunt, ut et-
iamsi parochiam relinquere velint, sumtus hos evitare
non valeant.

LV.

Nisi tamen consuetudo, quæ in hisce exactè obser-
vanda, contraria existat.

LVI.

Ceterum jus patronatus partim de una persona in
aliam transfertur, partim in totum amittitur. Illud fit
successione, donatione, permutatione Et universitatis
alienatione.

LVII.

Successione siue legitima, siue testamentaria transfer-
tur, ad quos hereditas jure civili, vel præterio per venit,
nec refert, sui sint, vel extranei, masculi, vel foemina,
legitimi, vel illegitimi, dummodo hereditatis sint capaces.

LVIII.

Hinc si filius hereditatem paternam repudiat, filia q̄
B 3 dotata,

dotata et xantibus masculis, ab hereditate, vel stante
statute, vel interveniente simplici, aut jurata renun-
ciatione, excluditur, jus patronatus ad neutrum deferri
pronunciamus.

L IX.

Donatione transfertur, quando Episcopi consensu,
Laico hoc ipsum donatur, qui si deest, viribus hac dona-
tio omnibus destituitur, & ipso jure nulla est.

L X.

Idem de permutatione dicitur, modo Episcopi acce-
dat consensus, & cum alio jure spiritali permutetur.

L XI.

Universitatis alienatione & tum transfertur, quan-
do civitas, pagus, castrum venditur, in feudum datur,
vel quocumq; modo alienatur, dummodo hac alienatione
specialiter vel separatum hoc non sit deductum & concessum.

L XII.

An licet somnia regulariter committatur, si jus pa-
tronatus per se venditur, inq; feudum datur; in totum
tamen contractus eo casu irritus non fit, sed respectu
hujus juris, reliquis suam firmitatem obtinentibus, an-
nihilatur, privaturnq; vendens hoc jure, ac precium Ec-
clesie, cui hac simoniaca injuria facta, applicatur.

L XIII.

Quae predicta tamen de Locatione universitatis,
itemq; de illius oppignoratione dicta volumus, sed va-
cante Ecclesia jus hoc presentandi veris dominis refer-
vamus.

An

LXIV.

An verò idem jus vacante sacerdotio, sequester habeat? disputando investigabimus.

LXV.

Amittitur jus patronatus, vel ex causa non criminosa, vel criminosa. Illud fit cum Ecclesia in totum diruta, ab alio Episcopi consensu reedificatur, adeò, ut licet ea de eadem materia fuerit in veterem formam reducta, antiqui tamen patroni jus reviviscere ac durare non intelligatur.

LXVI.

Utrum autem ad reedificationem Ecclesia de necessitate patroni antiqui requirendi, & reliquis adificare volentibus anteferendi, Quaestionis esse dubia? nos negantium partes defendemus.

LXVII.

Dotè etiam perempta hoc jus perijisse consequens est. Unde utrum de novo Patronus dotare Ecclesiam cogatur inter Dd. non convenit? Nos negamus.

LXVIII.

Idem fit, si huic juri renuncians patronus Ecclesia hoc ipsum cedit, vel Ecclesiam patronatam alteri Ecclesia, vel loco religioso uniri patitur.

LXIX.

Quod adeò verum, ut renunciatio hæc absq^{ue} Episcopi consensu, inq^{ue} proximorum præjudicium fieri possit, modo

modo fraudationis tempore, qui de parentela sunt, hoc ut habeant non sit ordinatum. Quo casu nec ad adoptivos pertinere, verius putamus.

LXX.

An autem Imperator, aut Papa, alicui auferre hoc jus sine causa possit, & ad statum liberum Ecclesiam reducere, Canonice hic quarunt? Quibus impie affirmantibus pie ac jure contradicimus.

LXXI.

Ex causa criminosa amittitur, si patronus in heresin lapsus fuerit, crimen laesae Majestatis perpetrarit, patriae proditor extiterit, rectoremq; vel Clericum Ecclesiae per se vel alios occidere vel mutilare praesumpserit, Ecclesiam non defenderit, Et in genere: Quoties confiscatio honorum crimen subsequitur, toties hoc jus amitti, communi Dd. suffragio est asserendum.

LXXVII.

Qua autem an locum habeant, etiamsi ad fidem haereticus revertatur, vel bona fisco applicanda ob delictum, Principis indulgentia delinquenti restituantur, non eadem est Dd. sententia? Nos prius negamus, posterijs affirmantes.

LXXIII.

Postremo, cum rei spirituali hoc jus annexum sit, competens Judex, si de eo lis & controversia movetur, non Laicus, sed Ecclesiasticus regulariter existit.

LXXIV.

Coram quo sibi id deberi petens, actionem illam quae ex conventionem, vel acquisitionis modo oritur, intentare potest, nisi in quasi possessione praesentandi turbatus, interdicto uti possidatis, vel quasi confessoria, adversus perturbantem experiri velit.





LXIV.

An verò idem jus vacante sacerdotio, beat? disputando investigabimus.

LXV.

Amittitur jus patronatus, vel ex causa nosa, vel criminosa. Illud fit cum Ecclesia ruita, ab alio Episcopi consensu reedificatur, ea de eadem materia fuerit in veterem formam antiquam tamen patroni jus reviviscere ac ad intelligatur.

LXVI.

Utrum autem ad reedificationem Ecclesie sitate patroni antiqui requirendi, & reliqui volentibus anteferendi, Questionis esse dignantium partes defendemus.

LXVII.

Dote etiam perempta hoc jus perijisse cogatur inter Dd. non convenit? Nos

LXVIII.

Idem fit, si huic juri renuncians patronus ipsum cedit, vel Ecclesiam patronatam altero loco religioso uniri patitur.

LXIX.

Quod adeò verum, ut renunciatio hæc Episcopi consensu, inq; proximorum præjudicium

